



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. Acenderit super omnes cœlos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

principali. Vnde hoc differt inter Christum, & alios homines etiam beatos, quod illis virtus illa agilitatis omnino ab extrinseco confertur, & ex parte principalis motoris, qui est Deus, semper mouentur ab extrinseco: at vero Christi corpori illa virtus est ali quo modo ab intrinseco, & debita ratione supposita, qua virtute propria poterat sursum ferri.

Ascensionem, & descensionem attribuit Deo in scriptura quomodo.

In solut. ad primum, & secundum declarat D. Thomas doctrinam articuli intelligendam esse de ascensione proprie dicta, vt significat motum localem, quoniam per metaphoram tam ascensus, quam descensus tribuuntur Deo, vt Deus est. Ascendere enim dicitur in aliquem, quando ei dominatur, vel speciali modo eum sibi subicit, & sic dicitur, ascendere in cor. Descendere autem dicitur, vel quando in hoc mundo inferiori speciales effectus gratiae operatur, vel nouo modo apparet, quomodo dicitur Spiritus sanctus descendisse. Nam quia Deus speciali modo dicitur in caelo habitare, ideo quando nouo modo apparet in terra, dicitur per metaphoram descendere. Et ita longe aliter dicitur Deus descendisse, quando factus est homo, Ioan. 3. & quando descendit ad inferos. Nam illud dicitur secundum praedictam metaphoram, & maxime quia assumpsit terrenam, & inferiorē quandam naturam: hoc vero dicitur secundum proprietatem motus localis in assumpta natura, & ita priori modo dicitur descendisse Deus, vt Deus. Quia Deus est, qui factus est homo, posteriori autem modo dicitur descendisse Deus, non vt Deus, sed ratione naturae assumptae.

ARTICVLVS III.

Verum Christus ascenderit propria virtute.

312.
Op 3 c 247.
Ep 60 c.
23. co. 2.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non ascenderit propria virtute. Dicitur enim Marc. vii. quod Dominus postquam loquutus est discipulis, assumptus est in caelum. Et Act. i. dicitur, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: Sed illud quod Assumitur & eleuatur, ab alio videtur moueri. Ergo Christus non propria virtute, sed aliena ferebatur in caelum.

2. Praterea. Corpus Christi fuit terrenum sicut & corpora nostra. Corpori autem terreno, contra naturam est ferri sursum. Nullus autem motus est ex propria virtute eius, quod contra naturam mouetur. Ergo Christus non ascendit propria virtute in caelum.

3. Praterea. Propria virtus Christi est virtus Diuina. Sed motus ille non videtur fuisse ex virtute Diuina: quia cum virtus Diuina sit infinita, motus ille fuisse in instanti, & sic non potuisset videntibus discipulis eleuari in caelum: vt dicitur Act. i. Ergo videtur, quod Christus non ascenderit propria virtute.

Sed contra est, quod dicitur Isai. 63. Iste formosus in stola sua gradens in multitudine fortitudinis suae. Et Greg. dicit in Hom. Ascensionis, Notandum est, quod Helias in curru legitur ascendisse: vt videlicet aperte demonstratur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia qui fecerat omnia super omnia, sua virtute ferebatur.

Respondeo dicendum, quod in Christo est duplex natura, Diuina, scilicet & humana, vnde secundum vtramque naturam potest accipi propria virtus eius. Sed secundum humanam naturam potest accipi duplex virtus Christi. Vna quidem naturalis, quae procedit ex principiis naturae, & tali virtute manifestum est, quod Christus in caelum non ascendit. Alia autem virtus in humana natura Christi est virtus gloriae, secundum quam Christus in caelum ascendit. Cuius quidem virtutis rationem quidam accipiunt ex natura quintae

Homil. 29. in
Huang circa
med.

Assentia, quae est lux, vt dicunt, quam ponunt esse de compositione humani corporis, & per eam elementa contraria conciliari in vnum: Ita quod in statu huius mortalitatis natura elementaris in corporibus humanis dominatur: & ideo secundum naturam elementis predominantis & rpus humanum naturalis virtute deorsum fertur. In statu autem gloriae predominabitur natura celestis: per cuius inclinationem & virtutem corpus Christi, & alia Sanctorum corpora ferantur in caelum. Sed de hac opinione, & in prima parte habitum est, & infra magis agetur in tractatu de Resurrectione communis.

Hac autem opinione praetermissa, alij assignant rationem praedictae virtutis ex parte animae glorificate, ex cuius redundantia glorificabitur corpus: vt Aug. dicit ad Diosc. Et tamen tantam obedientiam corporis gloriosi ad animam beatam vt (sic ut Aug. dicit 22 de Ciuit. Dei.) vbi voluit spiritus, ibi protinus erit corpus, nec vult aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Debet autem corpus gloriosum & immortalis esse in loco celesti, sicut dictum est. Et ideo ex virtute animae volentis, corpus Christi ascendit in caelum. Sicut autem corpus efficitur gloriosum participatione animae, ita vt Aug. dicit super Ioan. participatione Dei sit anima beata. Vnde prima origo ascensionis in caelum est virtus diuina. Sicigitur Christus ascendit in caelum propria virtute, primo quidem virtute diuina, secundo virtute animae glorificate mouentis corpus, prout vult.

Pp. 70. a. 7

Ep. 56 ante
met. 1. li. 22.
c. vlt non re-
mouet ap. 1. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Christus dicitur propria virtute surrexisse, & tamen est suscitatus a patre, eo quod eadem est virtus patris, & filij: ita etiam Christus ex propria virtute ascendit in caelum, & tamen a patre est eleuatus & assumptus.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa probat, quod Christus non ascendit in caelum propria virtute, quae est naturalis: ascendit tamen in caelum propria virtute, quae est virtus diuina, & propria virtute, quae est animae beatae. Et licet ascendere sursum, sit contra naturam humani corporis secundum statum praesentem, in quo corpus non est omnino subiectum spiritui: tamen non erit contra naturam neque violentum corpori glorioso, cuius tota natura est omnino subiecta spiritui.

Ad tertium dicendum, quod est virtus diuina sit infinita, & infinite operetur, quantum est ex parte operantis, tamen effectus virtutis eius recipitur in rebus secundum earum capacitatem, & secundum Dei dispositionem. Corpus autem non est capax, vt in instanti localiter moueatur: quia oportet, quod commetatur se spatio, secundum cuius dimensionem diuiditur tempus: vt dicitur 6. Physic. Et ideo non oportet, quod corpus motum a Deo moueatur in instanti: sed moueatur ea velocitate, quae Deus disponit.

li. 6. re. 37. 38.
39. rom. 2.

COMMENTARIVS.

Hic articulus ex dictis in praecedenti perspicuus est, & videri possunt superius dicta de dote agilitatis. In solutione ad 3. attingit D. Thomas questionem, an corpus gloriosum possit moueri localiter in instanti, & significat non posse. Quod intelligendum est de proprio motu, qui sit pertranscendendum totum spatium, & cum commensuratione ad illud: vt etiam in loco citato tactum est.

ARTICVLVS IV.

Verum Christus ascenderit super omnes calos.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus non ascenderit super omnes calos. Dicitur enim in Psal. 110. Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius. Quod autem est in caelo, non est supra caelum, ergo Christus non ascendit super omnes calos.

313.
3. d. 2. q. 3. d.
3. q. 1. c. 4.
contra c. 87.
Ep. 60 c. 9.

Ddd 4 2. Pre.

2. Præterea. Super omnes celos non est aliquis locus, ut A probatur in primo de celo. Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes celos.

3. Præterea. Duo corpora non possunt esse in eodem loco. Cum igitur non sit transitus de extremo in extremum, nisi per medium, videtur, quod Christus non potuisset ascendere super omnes celos, nisi celum divideretur, quod est impossibile.

4. Præterea. Act. 1. dicitur, quod nubes suscepit eum ob oculis eorum. Sed nubes non possunt eleuari supra celum, ergo Christus non ascendit super omnes celos.

5. Præterea. Ibi credimus Christum in perpetuum permanentem, quo ascendit. Sed quod contra naturam est, non potest esse sempiternum: quia id quod est secundum naturam, est ut in pluribus, & ut frequentius. Cum ergo contra naturam sit corpori terreno, esse supra celum, videtur, quod corpus Christi supra celum non ascenderit.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 3. Ascendit super omnes celos, ut adimpleret omnia.

Respondeo dicendum, quod quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem diuinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Vnde videmus, quod corpora, que sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora (ut patet per Philosophum in quarto Phys. & in secundo de celo) per formam enim unumquodque corpus participat diuinum esse, ut patet in 1. Phys. Plus autem participat de Diuina bonitate corpus per gloriam, quam quodcumque corpus naturale per formam sue nature. Et inter cetera corpora gloriosa manifestum est, quod corpus Christi maiori resurgit gloria: unde conuenientissimum est sibi, quod sit supra omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. 4. Ascendens in altum, dicit gloss. Loco, & dignitate.

Ad primum ergo dicendum, quod sedes Dei dicitur esse in celo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Vnde non oportet, aliquam partem cali eo superiorem esse: sed ipsum esse super omnes celos, sicut & in Psalmo 8. dicitur, Eleuata est magnificentia tua super celos, Deus.

Ad secundum dicendum, quod locus habet rationem continentis. Vnde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum calum. In tantum igitur corpora indigent esse in loco per se, in quantum indigent contineri à corpore celesti. Corpora autem gloriosa, & maxime corpus Christi, non indiget tali continentia. Quia nihil recipit à corporibus celestibus, sed à Deo mediante anima. Vnde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam celestium corporum, & non esse in loco continente: nec tamen oportet, quod extra calum sit vacuum. Quia non est ibi locus: nec est ibi aliqua potentia susceptiua alicuius corporis, sed potentia illuc perueniendi est in Christo. Quod autem Aristoteles probat 1. de celo, quod extra calum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis: ut per probationes apparet.

Ad tertium dicendum, quod quamuis de natura corporis non sit, quod possit esse in eodem loco cum alio corpore: tamen potest hoc Deus facere per miraculum, quod in eodem loco possit esse simul cum alio corpore: sicut & fecit, ut corpus Christi de clauso vtero Beate Virginis exiret, & quod intrauit ianuam clausam ad discipulos: sicut dicit beatus Gregor. Corpus ergo Christi simul potest esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, sed per virtutem diuinam assistentem, & hoc operantem.

Ad quartum dicendum, quod nubes illa non præbuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi: sed apparuit in signum diuinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube.

Ad quintum dicendum, quod corpus gloriosum, non habet ex principijs sue nature, quod possit in celo, aut supra calum esse: sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit

gloriam. Et sicut motus gloriosi corporis sursum non est violentus: ita nec quies est violenta: unde nihil prohibet, eam esse sempiternam.

COMMENTARIUS.

Responso D. Thomæ est, Christum ascendisse super omnia celestia corpora, ita ut totum Christi corpus sit extra superficiem ultimam, seu conuexam cali empyrei, neque villo corpore contineatur, seu circumdetur. Ita enim ipse D. Thom. in sol. ad 2. exposuit, quæ in corpore docuerat (vnde recte Caictan. notauit) de qua re postea differendum est.

ARTICVLVS V.

Utrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non ascenderit super omnem creaturam spiritualem. Eorum enim, quæ non dicuntur secundum vnā rationem, non potest conuenienter fieri comparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporibus, & spiritualibus creaturis, ut patet ex his, quæ dicta sunt in prima parte. Ergo videtur, quod non possit dici, corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spiritualem.

2. Præterea. August. dicit in lib. de Verat. relig. quod omni corpori spiritus præfertur. Sed nobiliori rei sublimior debetur locus. Ergo videtur, quod Christus non ascenderit super omnem spiritualem creaturam.

3. Præterea. In omni loco est aliquod corpus, cum nihil sit vacuum in natura. Si ergo nullum corpus obtinet altiores locum, quam spiritus in ordinem naturalium corporum, nullus locus erit super omnem spiritualem creaturam. Non ergo corpus Christi potuit ascendere super omnem spiritualem creaturam.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro.

Respondeo dicendum, quod alicui rei debetur ratio altior locus, quanto est nobilior: siue debetur ei locus per modum contractus corporalis, sicut corporibus: siue per modum contractus spiritualis, sicut spiritualibus substantijs. Exinde enim spiritualibus substantijs debetur secundum quandam congruentiam locus celestis, qui est supremus locorum, quia illa substantia sunt supreme in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet considerando conditiones nature corporeæ sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem vnionis, quæ est personaliter Deo coniunctum, excelsit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo secundum prædictam congruentiam rationem debetur sibi locus altior ultra omnem creaturam etiam spiritualem. Vnde & Greg. dicit in homil. Ascensionis, quod qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.

Ad primum ergo dicendum, quod licet alia ratione attribuaturs locus corporali & spirituali substantia: tamen hoc est in vtraque ratione commune, quod digniori rei attribuitur superior locus.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de corpore Christi secundum conditionem nature corporeæ, non autem secundum rationem vnionis.

Ad tertium dicendum, quod comparatio ista potest attendi

Gloss. inter linear. ibid.

li. 1. co. 69. 1. 2.

Ho. 16. in. uang. no. pro. cul. a. princ.

213. Inf. q. 1. 8. 4. 3. co. & P. 8. fi. & Eph. 1. 16. 7. fi. & 4. 1. 4. 3. fin.

c. 55. aliquā. tūli. a. p. 1. 1.

Ho. 23. in. uang. in. m.